

A species, per quas Angelus cognoscit, an sint acquisitæ vel denuò introductæ, an verò connaturales, quoniam intricatissima inter Scholasticos Cōtroversia est, non adeò liquet, ἐπεὶ hic malumus, quàm cum *Gregor. de Valent. Tom. 1. Diss. 4. q. 5. punct. 2. Franc. Carol. de Racon part. 5. metaph. Tract. 2. art. 1. alleg. à Magnifico Theologo & Gamalielo quondam meo devotè colendo Dn. D. Seldio in Diatribe, de Angelis Sect. 1. Theorem. 4. §. 12.* petulanter hic quippiam certi definire.

§. 7. Antequam hic abeam: utrum cognitio Angelorum sit discursiva, nec ne? paucis disquirere libet, in Scholasticorum lectione vel mediocriter versato obscurum esse non potest, duplicem ab illis constitui discursum alterum discretum, alterum continuum; Hunc dicunt quo unum ex alio cognoscitur: illum ex adverso quo unum post aliud cognoscitur, quâ distinctione præmissâ cum *Beatiss. Dn. D. Scheibl. l. 2. Metaph. c. 4. p. 440. §. 144. Dn. D. Scharff. l. 3. pnev. c. 4. Summo & Magnifico Doctore nostro SELDIO in Diatribe de Angelis Sect. 2. q. 3. §. 12 dicimus* 1. omninò Angelos discurrere discursu discreto: Hinc assertioni sua ut constet veritas esto Syllogismus: Quicumque unum post aliud cognoscit, ille gaudet discursu discreto, Ratum: Atqui Angeli unum post aliud cognoscunt Ergo. Minoris evidentia ex futuris purè contingentibus, quæ Angeli planè non cognoscunt parula evadit, Cùm enim dicta futura purè contingentia præsentia & actualia fiunt, eadem ab illis cognoscuntur, & sic cognitio eorundem est discretè discursiva. Ad hæc non omnia præsentia simul & uno actu ab Angelis cognoscuntur: Enim verò si Angelus Deum cognoscit, non potest eodem actu equum aut hominem cognoscere, quippe qui Angelus per species objecta idealiter re-
præ-